



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1431. usque ad annum 1441

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118316**

§. 54. Prælati, Abbates, Ordinum Generales, & Universitas Parisiensis  
Ferrariam a Papa vocati.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66426](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66426)

bus decidendis Basileæ fuit congrega-  
tum, excepta caussa Bohemorum quan-  
tum ad articulum de communione sub  
utraque specie, hunc enim solum Basi-  
leæ infra triginta dies pertractari volu-  
mus.

Sæcul. XV.  
A. C. 1437.

§. LIV.

*Prælati, Abbates, Ordinum Genera-  
les, & Universitas Parisiensis Fer-  
rariam a Papa vocantur.*

Præterea ad plurimos Ordinum Genera-  
les, Abbates, & Principes literas de-  
dit, quibus eos ad Concilium Ferrariæ  
celebrandum vocavit. Exstat quoque in  
Collectione Conciliorum ejusdem Pon-  
tificis Epistola hanc in rem ad Scholam  
Parisensem Bononiæ die vigesima tertia  
Septembris data, qua illam huic Synodo  
interesse hortatur. Ejusdem quoque te-  
noris epistolas scripsit ad ceteras Acade-  
mias, Galliæ, Hispaniæ, Germaniæ, Bra-  
bantia, Poloniæ, Italiæ, Angliæ & Sco-  
tiæ.

Tom. 12.  
Conc. Labbe  
n. 16. p. 869.

Francia ejusmodi convocationem ægre  
tulit, & Carolus VII, qui tum erat Turo-  
nibus, ubi perspexit Eugenium constituif-  
se Synodum Ferrariam transferre, promul-  
gavit edictum, quo omnibus Regni sui  
Prælati inhibuit, ne se Ferrariam con-  
ferrent sub prætextu habendi Concilii, sed



Sæcul. XV.  
A. C. 1437.

Avenionem, quando eis significaretur adirent, ut ibidem Græcos juxta pacta & conventa cum Imperatore & Patribus Basileensibus inita exciperent (\*).

Hæc Pontificis agendi ratio non modo Gallis displicuit, sed etiam potissimum Prælatorum parti minime probabatur.

(\*) Hæc Continuator mutuavit ex suo Escherio, qui hoc edictum in Collectione nova regiarum edictionum existere asserit, id tamen Carolus VII ob Synodum Ferrariam translatam edidisse non demonstrat; certum enim est, quod Petrus Diniensis Episcopus Caroli VII orator utique ex beneplacito Regis, Græcos ad Synodum FERRARIENSEM advehturus Constantinopolin abierit, & Odorico Raynaldo teste, ipsi met Francorum Regis Oratores patriæ amorem suum præferentes non Avenionem, sed Ferrariam Caroli Regis jussu optaverint, & Eugenius ea de re grates Regi retulerit, cujus brevis extat in lib. Brev. p. 146. & in m. s. Alex. VII pag. 211, ubi etiam pag. 207. habetur ejusdem Pontificis epistola, qua Carolus rogat, ne illi Basileensium artibus se ab hac sententia dimoveri patiatur. Notum quoque est, Carolum VII eos præfules Gallos, qui ab Eugenio discesserant, ad illius obsequium reduxisse, de quibus Pontifex Regi gratulatus est datis literis, quæ extant in lib. Brev. p. 163. & m. s. Alex. VII p. 240.



quorum paucissimi Legatis Eugenii am-  
 plius adhærere visi sunt. Cum enim Pa-  
 pa Decreto, quod ipsius Legati Synodali  
 statuto opposuerant, parum deferre vide-  
 retur (\*), ac nequidem istius mentionem  
 in clausulis suæ Bullæ inseruisset, sed dun-  
 taxat plenitudinem potestatis suæ, ex qua  
 se Synodum transferre declarabat, alle-  
 gasset, tandem isti Prælati prout dudum  
 decuisset, animadverterunt, quod Papa  
 supremum dominium sibi arrogaret, nec  
 Generalem Synodum tanquam se supe-  
 riorem revereri vellet. Abs dubio Eu-  
 genius his rationibus stimulatus, non ita  
 pridem Joannem Vitellescum Patriar-  
 cham Alexandrinum, & Archiepiscopum  
 Florentinum ad Cardinalium dignitatem  
 evexit: non enim ignorare poterat de-  
 creta a Basileensi Concilio condita, qui-  
 bus Pontifici facultas creandi Cardina-  
 les restringebatur.

## §. LV.

(\*) *Manifesta est hujus causse allegatæ fal-  
 sitas, cum acta Patriciana testentur, Eugenium  
 hoc DECRETUM, utpote a saniore parte con-  
 ditum CONFIRMASSE, ac propterea Ba-  
 fileenses irritatos, citatorium, ut vocant, decre-  
 tum constasse.*